



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus XVII. Sepulchra.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

peccati lequeum; neque concupiscibilia quæque intueantur; oculos circumcidisti tuos. Si obturas aures, ne audiant obrectatores, obscœnaque carmina: si à nitore & odoramentis voluptuosius odoratum amoves: si à potatione superflua, & à lautioribus ferculis, atque ab omni abundantia ciborum, cohibes appetitum: si ab universis muneribus, contrectationibus impudicis, & percussionibus, manus excutias: procul dubiò in his omnibus, aures, nares, os, & manus, carnis spiritaliter circumcidisti. S. Laur. Just. in Circumc. D.

Anima nec se, nec Deum, cognoscit; nisi se retrahat ab omnibus sensibus carnis, tanquam eam impediens. Sancti Bonaventura f. 9.

Quisquis foris sensus suos per timorem Dei à delectatione carnis non restringit; quæ sit interni boni dulcedo, gustare non poterit. Hugo à S. Vict. in Pf. 13.

In vesperis cantantur quinque Psalmi, propter quinque sensus: ut videlicet, quod per quinque sensus corporis commissum est, per quinque Psalmorum cantionem dimittatur. Beletus ration. div. offic. c. 52.

Obstrue quinque fenestras; ut luceat domus, & habitans eam. Proverbium Arabicum centur. 1. n. 9.

#### Sensus animi.

Sicut in corpore quinque corporei sensus sunt, ita in anima sunt quinque sensus spirituales: Visus est Fides: Auditus obedientia: Gustus amor: Olfactus spes: Tactus patientia. Anima in peccato jacens, hos omnes sensus ligatos habet: ita enim credit, acsi non crederet; ita sperat, acsi non speraret, absque obedientia, patientia, & amore. S. Bernardus l. de quinque Sensibus.

## TITULUS XVII. SEPULCHRA.

### §. I.

#### Propriè nostrum.

**A**Dvena sum, & peregrinus apud vos: date mihi jus sepulchri. Gen. 23. 4. dicebat Abraham ad habitatores Heth. Sciant divites, nobiles, principes, reges, speciali jure, præ omni possessione, vocare sepulchrum suum, quod diutissime possident. Alvarez Illustr. 309.

Confirmatus est ager Sc. Gen. 23. 17. Abraham in Chanaan non habuit domum, non agrum proprium, sed tantum sepulchrum proprium: quia volebat, Dei monitu, esse peregrinus in vita, tendereque in cœlum. In morte autem, quasi interminio, ac confinio cœli, proprium sibi, suorumque fidelium, poposcit locum: ne cum infidelibus requiesceret. Cornelius hic.

Repositus est in loculo. Gen. 50. 25. Abul: loculus dicitur parvus locus; & significat sepulturam, quæ parva est, quia ad mensuram hominis fit. Alia autem loca, in quibus homo vivus manere solebat, spatiosa sunt; ut domus. Eadem arcula, quæ Pro-reges, & reges claudit; claudet ossa mendici, vel miseri servi. Urna Joseph aularum compendium; & adhuc locus est pro hospitibus vermicibus. Alvarez Illustr. 368.

Sepulchra eorum domus illorum. Pf. 48. 12. Nam, amplissima licet palatia, superbæque alia ædificia, non domus sunt, sed hospitia; in quibus paucos annos habitant: in sepulchris vero manent usque ad Judicium. Barradius l. 4. l. 5. c. 11.

### §. II.

#### Sepulchrum Adami sub Cruce Christi.

**C**hristi sanguine conspersa creditur calvaria; qui sub loco, quò crux Domini fixa est, hujusmodi. Sacra. Tom. II.

matus traditur ab antiquis. Sancti Cyprianus de Rurr. Chr.

S. Ambrosius ep. 19. in monte Golgotha sepulchrum ait Adamum.

Antiquorum relatione refertur; quòd Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus: & ideo Calvaria locum dictum esse; quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè non incongruè creditur: quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus Sc. S. August. ser. 6. D. 1. Quadr.

Communis Patrum sententia est, cranium Adæ sepultum esse in monte Calvaria; ut ibi Crucifixi sanguine rigaretur. Cornelius in Gen. 5. 2.

### §. III.

#### Miscellanea.

**M**ortuus est Moyses servus Domini, & non cognovit homo sepulchrum ejus. Deut. 34. 5. 6. Et cur latet tanti viri tumulus? cur non splendidum ei erigitur marmor cum insculpta virga, tot prodigiorum patratrice? S. Ambros. l. de Cain, & Abel: Sepulchrum Moyfi nemo novit, quia vitam ejus omnes noverunt. En amplissimum Mausolæum; quod nulla vetustas, nullus imber, non aquilo, diruere poterit. Alvarez Illustr. 354.

Et circuibunt in platea plangentes. Eccl. 12. 5. Propriè accipias hunc circuitum: quia solebant circuire sepulchra, tam Gentiles, quàm Christiani. Unde S. Hieron. in c. 40. Ezech. dum esset Romæ, solebam cum cœteris ejusdem ætatis, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum, & Martyrum, circuire. Cornelius hic.

Efferebatur filius unicus matris suæ. Luc. 7. 12. Efferebatur extra urbem humanus.

us, Hic enim Judæorum mos erat, non in urbe, sed extra, sepelire mortuos. Unde & JESU sepulchrum extra urbem jacuit in horto, Escobar t. I. mir. Chr. Parte 2. sect. 4.

§. IV.

## Sepulchrum Christi Domini.

## Figura, &amp; Symbola.

**R**equieuit die septimò ab universo opere. Gen. 2. 2. Tunc Deus in Sabbatho suo requieuit ab operibus suis; quando Deus, & homo, Christus, & secundum animam in secreto divinitatis, & secundum corpus in sepulchro terræ, requieuit. Nam, sicut Evangelica fideliter narrat historia, primò dierum, id est, Dominicò, in civitatem Jerusalem passurus introivit, Secundò, & tertio mitis agnus inter lanistas crudelissimos juges insidias pertulit. Quartò à discipulo suo traditus est. Quintò testamentum scribens filiis, hæreditatem corporis, & sanguinis sui, delegavit. Sextò moriendo omne suum opus acri cum labore consummavit. Septimò in sepulchro requieuit. S. Rupertus in Evangelia c. 30. Requies Dei, non laboris remedium, sed ceptorum finis est operum. Requieuit tunc etiam Filius Dei ab omnibus operibus suis, quæ ceperat Deus facere; quando, consummatis mirabilibus universis, & impletò sextò die omni opere Passionis, die septimà, id est, die Sabbathi, requieuit sepultus. Sed quoniam Dei operosa quies est, ipsa requies otiosa esse non potuit: nam, corpore in sepulchro positò, Divinitas cum anima hominis ad inferna descendens, vocavit de locis suas animas Sanctorum. S. Gaudentius Brix. tr. 10. fen. 8. de Exodo. Consummavit Creator omnium Deus opera sua sextà die, & die septimà quieuit ab omni opere, quod patrârat. Sic & Christus in Cruce sextà die opera sua recreationis perfecit; & requieuit Sabbathò in sepulchro. S. Bernardinus p. 2. art. 1.

*Fasciculus myrrhæ &c.* Cant. 1. 12. Dilectus Ecclesiæ, fasciculus myrrhæ factus est; quando Dominus myrrhâ, & aloë, perlitus, linteris involutus est, V. Beda l. 2. hic.

*En lectulum Salomonis.* Cant. 3. 7. Lectulum intelligo sepulchrum JESU; quia omnia pace replevit per propriam suam necem, atque resurrectionem. Philo Carpath. hic. Lectulus tuus, JESU, plus quàm Salomon, sepultura tua est: in qua Sabbathò requievisi ab omni opere, quod patrâsti. Drogo Ost. de Sac. D. Pass.

*Descendit in hortum &c.* Cant. 6. 1. Bens in hortum suum descendisse dicitur: nam in horto sepeliri voluit. Joan. 19. 41. Et primùm Magdalenz in horto apparuit. Sanct. Thom. Aqu. hic.

*In horto monumentum novum &c.* Joan. 19. 41. Ut quid ei propria sepultura, qui in se mortem propriam non habebat? ut quid ei sepultura, qui tridui tantum temporis spaciò, non tam in sepulchro mortuus jacuit,

quàm velut in lectulo dormiens conquevit? S. Maximus hom. 3. de Pass. Dom.

## Varia de eodem Sepulchro CHRISTI Domini.

*Et erit sepulchrum ejus gloriosum.* II. 11. 10. Scribit S. Augustinus ex Gregorio Turon. de gloria MM. c. 7. terra ipsa insuper, quæ Domini adjacet sepulchro, divinam quandam ex Dominico corpore proximè posito virtutem hausit; ut meritò Fideles illuc peregrinantes avidè solerent ex ea accipere; quâ tum ad morbos curandos, tum etiam ad dæmones fugandos, ut consueverunt.

*Quid molesti estis huic mulieri?* Matth. 26. 10. Nè mihi ritus sepulchrales invidias; licèt vitâ spoliaveris. Nam mulier hæc sepulchrali ritu mortem, cujus tu auctor fuisti, prævertit. Honorem puto sepulturæ meæ hoc esse: & si cædem paras, tumulum sanè concede. S. Basilius Seleuc. orat. 31.

*Posuit illud in monumento suo novo.* Matth. 27. 60. Joseph hortus flosculorum erat diversis adoribus plenus; sed necdum in eo tale germen inseverat. Fragrabat quidem specialis animæ ejus hortus variâ suavitate virtutum; sed necdum Christum cum aromatibus in cordis sui secreto posuerat. Ità dum Salvatorem in hortuli sui monumento sepelit, magis illum in animæ suæ intimis collocavit. S. Ambros. l. 2. de grano sinapis. Christi corpus in sepulchro, sicut & in cruce, ita collocatum fuit; teste Bedâ, & Adrichomiò, ut capite, & facie, ab oriente, & Judæâ, aversâ occidentem respiceret. Cornelius hic.

*Et ecce vir nomine Joseph &c.* Luc. 23. 50. Quid sibi vult? quod non Apostoli, sed Joseph, & Nicodemus, Christum sepeliunt? unus iustus, & constans; alter, qui erat Magister in Israël. Talis enim Christi est sepultura; quæ iustitiam, magisteriumque habeat. S. Ambros. hic.

Acceptit sententiam Adam, *maledicta terra in opere tuo.* Gen. 3. 17. Et ideo sepultus est in terra: ut maledicta terra, pro maledictione, recipiat benedictionem. S. Cyrill. Jerof. Catech. 13.

Inter sancta, ac desiderabilia loca sepulchrum (Christi) *inter loca devotionis* tenet quodammodo principatum: & devotionis nescio quid plus sentitur, ubi mortuus requieuit, quàm ubi vivens conversatus est: atque amplius movet ad pietatem, mortis, quàm vitæ, recordatio. Sanct. Bernardus c. 11. ad milites templi.

Est illud nunc gloriosum, in media licèt barbarie; nequidquam frementibus dæmonibus, obluantibus Judæis, ejusque everfionem licitantibus. Ji enim sub annum 1600. quotquot ex illa colluvie per orbem sparsi erant; collatâ stipe, conflârunt summam 500. milium aureorum, eamque Turcarum Tyranno obtulerunt; ut CRISTI sepulchrum dirueret: sed irritò conatu. Doultreman l. c. 4. sect. 7.

§. V.

§. V.

*Sepulchra Sanctorum honorata, salutaria.*

**V**ocatus est ager ille *Haceldama*, Matth. 27. 8. De hoc agro sanguinis scribit Brochandus M. Nicephorus, Bredenbachius, Adrichomius in descriptione Jerusalem n. 216, est hujus terræ virtus mirabilis; quod defunctorum corpora viginti quatuor horarum spatium in pulverem redigat: quam virtutem etiam in alias partes dejecta minime perdit. Nam, cum iussu Imperatricis Helenæ, de hoc agro, quantum terræ plures naves capere poterant, Romam avectum; ac juxta montem Vaticanum, in eum locum exoneratum sit, quem incolæ campum sanctum vocant: licet cælum mutarit, eandem tamen vim quotidiana experientia docet. Romanos enim respiciens, sola peregrinorum corpora ad sepulturam admittit: quorum etiam hic carnem intra viginti quatuor horas prorsus contumit, ossibus tantum residuis. Sæpius Romæ invisit Campum Sacrum; ac ita se rem habere, ab ipso loci Parocho, ejusque aîscelis, & Romanis cæteris, audivi. Cornelius hic,

Sepulchra servorum Crucifixi regis aulis sunt splendidiora; non ædificiorum amplitudine ac splendore, (hac enim parte excellunt) sed, quod multo amplius est, convenientium studio. S. Chrysost. hom. 26. in 2. Cor. 12.

Hic quoque (Constantinopoli) Constantinum M. filius ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in Piscatoris vestibulo conderet. Quodque Imperatoribus in aulis sunt Janitores, hoc in sepulchro Piscatoris sunt Imperatores. Id. ibid.

Quid est, quod sancti Patriarchæ in Chanæorum terra corpora sua quiescere tantò desi-

deriò concupiscunt? nisi quod humanæ salutis auctorem illic noverant de suo semine natorum. B. Petrus Dam. f. de transl. corpor. S. Hilarii.

Hac de causa tam sollicitè Patres curarunt sepeliri in terra Israel: ut, qui videre Christum non poterant, saltem ab eo calcarentur. Oforius in Vigil. Nat. Dom.

Corpora SS. Martyrum Frontani, Severini, Severiani, Silani, abscissis capitibus, cum impii satellites temerè abjecissent, divinitus se in pedes erexerunt; acceptisque in manu capitibus, per alveum fluminis siccis pedibus, in Ecclesiam B. V. ubi S. Fronto orabat, pervenerunt: & capita sua flexis genibus ante pedes ejus deponentes, corpora sua in modum crucis extenderunt honorificè conditi. Bollandus 2. Jan.

S. Withburgæ V. corpus dum transfertur, stella illud comitatur. Bolland. 17. Martii.

E Sepulchro S. Raimundi de Pennafort saluberrimus pulvis enascitur: qui licet magnâ copiâ inde exportetur; nunquam tamen deficit; ac multæ, magnæque, infirmitates eò curantur. Bolland. 7. Jan.

Ad S. Sulpitii Pij Ep. Bituricensis sacrum corpus assiduus fons olei redundat: & licet ignis jure capiat pabulum; liquor tamen divinitus sumit augmentum. Bolland. 17. Jan.

Terra circa sepulchrum S. Kunegundis Imperatricis V. à Fidelibus collecta, in speciem lucidissimi thuris frequenter conversa: pulvis sepulchri vulnere medetur; in frumentum sæpius mutatur. Bollandus 3. Martij.

Pulvis pavimenti circa sepulchrum S. Remigij serpentes fugat. Et in omnibus Ecclesiis S. Remigij, circumiacentibus atrijs, vel cœmeterijs, coluber nunquam solet inveniri. Nierembergus l. 2. de miraculosis naturis Europæ c. 63.

## TITULUS XVIII.

## SEQUELA CHRISTI.

§. I.

*Figura.*

**D**ixitque ei armiger suus - perge, quò cupis; & ero tecum, ubicunque volueris. 1. Reg. 14. 7. Jonathæ armiger, quem ad hanc irruptionem elegit, fuit valde obsequens, fidelis, & fortis: nam & vocanti Jonathæ ad pugnam sedulus paruit; & contententi in præruptos scopulos individuus adhæsit; & irruenti in medios hostes irruens & ipse præsidium attulit singulare. Talem te exhibe Christo sub ejus vexillo militans. Mendoza hic. Animofus juvenis erat iste, quia non formidabat totam aciem Philistinorum. Abul. q. 2. Ex amore tamen nimio faciebat: diligebat enim Jonatham sicut animam suam; ideò gratissimum erat sibi, eum quocunque euntem comitari, etiam in morte certissima.

Cùm David fugeret à facie Absolonis, & Polyarth. Sacr. Tom. 11.

Ethai sibi in fuga adhærentem observaret; cur inquit, venis nobiscum? 2. Reg. 15. 19. 21. revertere, & habita cum rege &c. Quid verò Ethai? vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex: quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita; ibi erit servus tuus. Non minorem fidem erga David præbuit Chusai 2. Reg. 15. 32. Nam cùm David adversâ impellente fortunâ, Jerusalem deseruisset, ecce occurrit ei Chusai Arachites scissâ veste, & terrâ pleni capite. Non occurrit triumphanti; sed exulanti: ut suam in eum fidem testaretur, in adversis eum sequebatur. S. Chrysost. in Psalm. 7. Chusai vir probus, Davidis amicus, suam in eum amicitiam perpetuò conservavit: & cùm nihil aliud posset, lacrymarum affert consolationem: non enim erat amicus temporum, nec potentia, sed virtutis. Mendoza in 1. Reg. 14. sect. 2.

Lll 1 3

Dixit.